

Miscellanea

De litania Omnium Sanctorum in Ordine Praemonstratensi usurpata.

Quadruplicem Omnium Sanctorum litaniae formulam in liturgia Praemonstratensi fuisse usitatam produnt documenta usque adhuc reperta. Prima, sic dicta *litania in conventu*, in processione Cinerum, diebus Quadragesimae, post psalmos paenitentiales quando de feria celebratur, in vigiliis Paschae et Pentecostis ad benedictionem fontis, tandem in quatuor processionibus Litaniarum majorum et minorum usurpatur ¹⁾. Altera forma in Unctione extrema, tertia in agonia fratris morientis ²⁾, quarta, valde abbreviata, in profes-

¹⁾ Quoad hanc litaniam, jam saeculo XII^o finiente pro variis anni liturgici caerimoniis deputatam, cfr. Pl. F. LEFÈVRE, *L'Ordinaire de Prémontré d'après des manuscrits du XII^e et du XIII^e siècle* (Bibliothèque de la Revue d'Histoire ecclésiastique, fasc. 22). Lovanii, 1941, p. 48 (post benedictionem Cinerum), « duo fratres litaniam ante gradus incipiant, nominataque sancta Maria, vel patrono ecclesiae, cum processione exitur ». Pro Quadragesima, p. 49, « Sed et VII psalmi penitentiales, cum letania et collectis cottidianis, post capitulum dicentur », et p. 50 « Abhinc usque ad V^{am} feriam in Cena Domini, nisi sit dominica vel festum IX lectionum, statim post capitulum itur ad ecclesiam, et cantantur VII psalmi penitentiales cum letania, deinde sequitur III^a... Sabbato sancto, post lectiones, p. 66-67 « sequitur letania in ecclesiis ubi baptismus fit... Ubi fontes non habentur, letania post lectiones cantatur a duobus fratribus, in superpelliciis, ante gradus presbyterii ». In litania maiore et Rogationibus, p. 77, « post sextam... sequitur letania *Kyrie* a duobus cantanda ». Tandem in vigilia Pentecostis, p. 81, post lectiones, « sequitur letania... ut in vigilia Pasche ». — Textus integer hujus litaniae legebatur in Collectario ecclesiae Leffiensis, saeculo XII^o mediante scripto, ubi, fol. 62-72, ritus collationis baptismi ac benedictionis fontium, cum cantu litaniarum, descriptus erat. Codex, proh dolor! anno 1944 misere a Germanis combustus est. Cfr. Pl. LEFÈVRE, *Un Collectaire prémontré remontant au milieu du XII^e siècle*, in *Anal. Praem.*, 1955, t. XXXI, p. 160-162.

²⁾ De litania, in collatione sacramenti Extremae Unctionis recitanda, nulla habetur memoria, neque in Ordinario saeculi XIIⁱ supra citato, neque in consuetudinibus ecclesiae Praemonstratensis saeculo XIV^o coadunatis, ubi tamen speciale et novum occurrit capitulum *De Extrema Unctione*. Pr. LEFÈVRE, *Coutumiers liturgiques de Prémontré du XIII^e et du XIV^e siècle* (Bibliothèque de la Revue d'His-

sione canonicorum, sub missa summa, adhibetur ³⁾).

Praecipua documenta quibus stabiliri potest tenor litaniae in conventu, sunt : saeculo XIII^o breviarium ipsius ecclesiae Praemonstratensis ⁴⁾, rituale a canonico de Bella Valle anno 1232 scriptum ⁵⁾, psalterium ejusdem saeculi finientis, in abbazia Grimbergensi asservatum ⁶⁾ : collectarium in eadem ecclesia, anno 1401 scriptum ⁷⁾, tandem Breviarium, anno 1574, ab abbate generali, Johanne Despruets, Parisiis editum ⁸⁾. Multiplices libri liturgici, in Ordine abhinc saeculum XVII^{um} ad usque nostram aetatem editi, textum, in paucis mutatum, ejusdem litaniae proferunt ⁹⁾. Secunda et tertia litania

toire ecclésiastique, fasc. 27), Lovanii, 1953, p. 88-89. — De illa autem pro moriente fratre persolvenda loquitur Ordinarius saeculi XIIⁱ, sequenti modo: « Dicta itaque litania, si adhuc vixerit, dicentur septem psalmi penitenciales ». Pl. LEFÈVRE, *L'Ordinaire de Prémontré...*, p. 116.

³⁾ Litania pro professione jam citatur in formulario saeculi XIIⁱ. Vide Pl. LEFÈVRE, *Cérémonies de la vêtue et de la profession dans l'Ordre de Prémontré*, in *Anal. Praem.*, 1932, VIII, p. 301-334, ac etiam Pl. LEFÈVRE, *Encore un formulaire pour la profession des chanoines dans l'ordre de Prémontré au XII^e siècle*, *Ibidem*, 1961 t. XXXVI, p. 310.

⁴⁾ Textus legitur in mss. n^o 103 Bibliothecae municipalis in Soissons, fol. 7 v^o, 1v^o et 2 (ordo foliorum in ligatura turbatus est). Quoad breviarium illud vide Pl. LEFÈVRE, *Deux bréviaires prémontrés, transcrits à l'abbaye mère de l'Ordre durant la seconde moitié du XIII^e siècle*, in *Anal. Praem.*, 1961, t. XXXVII, p. 130-133.

⁵⁾ Textus litaniae « in conventu » invenitur in mss. n^o 34 Bibliothecae de Charleville, fol. 9 v^o-29, ubi de precibus pro infirmo fratre et moriente, et ponitur ultimo loco. In hoc codice, fol. 64, scribitur sequens animadversio: « Iste liber scriptus est a fratre Stephano de Bella Valle, anno gratie millesimo ducentesimo tricesimo secundo. Eundem librum qui abstulerit, vel quoquo modo alienaverit ab ecclesia Belle Vallis, indignationem Dei omnipotentis et beatissime virginis Marie omniumque sanctorum Dei incurrat. Amen ».

⁶⁾ Ms., fol. 126-129 v^o.

⁷⁾ Pl. LEFÈVRE, *Un collectaire prémontré de l'abbaye de Grimbergen du début du XV^e siècle*, in *Anal. Praem.*, 1957, t. XXXIII, p. 330-334; textus scribitur in mss. fol. 69-74.

⁸⁾ *Breviarium secundum ritum candidissimi ordinis Praemonstratensis, auctoritate Reverendissimi D. Joannis de Pruëti, totius Ordinis generalis, editum ac repurgatum*, Parisiis, apud Jacobum Kerver, 1574, fol. 67 v^o-69.

⁹⁾ *Rituale Praemonstratense, Reverendi in Christo patris ac D.D. Michaelis Colbert, abbatis Praemonstratensis, totius Ordinis generalis, etc., ejusdemque Ordinis Capituli generalis auctoritate novissime collectum ac excussum*, Parisiis, 1676, p. 171-180. In libris modernis, v.g. *Processionale ad usum sacri ac canonici ordinis Praemonstratensis...*, Parisiis, Tornaci, Romae, 1932, reperitur cum nota simplici, p. 40-44, cum tono solenni, p. 108-113.

inveniuntur in rituali praenotato de Bella Vale, sicut etiam in ritualibus saeculi XVIIⁱ ¹⁰⁾. Quarta tandem, etsi jam saeculo XII^o de ea mentio habeatur, tenor tamen ejus non ante annum 1570 reperitur, et ea est quae in processionali moderno est restituta ¹¹⁾.

In quatuor illis litiis tres partes generatim distinguuntur : 1) Supplicationes ad ipsum Deum, 2) recursus ad sanctorum intercessionem, 3) invocationes pro necessitatibus communibus vel particularibus. In conclusione plerumque ad Deum supplicatio iteratur.

In praesenti tractatione unice de prima agitur litania.

Tenor ejus, ut jam dictum est, aliquatenus differens est si ad testes antiquiores, vel ad modernos, id est abhinc saeculum XVII^{um}, attendimus. Oportet ergo eum ad statum primaevum, posteriorem dein revocare.

Unde, collatis testibus, sequentem videtur formam qua authenticam a saeculo XIII^o, imo forsan qua primaevam in ordine Praemonstratensi esse tenendam. Textus ergo hic impressus sumitur e breviario ecclesiae matricis saeculi XIIIⁱ, de quo supra. Ipse enim, natura sua, majorem prae aliis habere videtur auctoritatem. In casu variantes lectiones aliorum codicum, sive etiam librorum qui postea, auctoritate Ordinis, praelo editi sunt, modo non sint circa sanctos pure locales, notantur. Quae variantes lectiones, ut et mutationes aut addita, sequenti aetate introducta, subter textu inferius impresso, notantur sequentibus cum abbreviationibus :

- BP = Breviarium ecclesiae Praemonstratensis, saeculi XIIIⁱ mediantis.
- RBV = Rituale ecclesiae de Bella Valle, anno 1232 scriptum.
- PG = Psalterium monasterii Grimbergensis, saeculi XIIIⁱ finientis.
- CG = Collectarium ejusdem ecclesiae, anno 1401 scriptum.
- BD = Breviarium Ordinis, ab abbate generali Despruets, anno 1574, editum.
- RC = Rituale, ab abbate generali Colbert, anno 1676, editum.

Pl. LEFÈVRE, O. Praem.

¹⁰⁾ Litaniae pro unctione infirmi et in mortis periculo praecedunt immediate illam dictam « in conventu », fol. 9 v^o - 29, in codice supra notato de Bella Valle. Inveniuntur etiam, sed ut videtur abbreviatae, in *Rituale Praemonstratense*, de quo in nota praecedenti, p. 181-186 et 212-214.

¹¹⁾ Recensetur cantus litaniae in duobus formulariis saeculi XIIⁱ. Pl. LEFÈVRE,

INCIPIT LETANIA

Kyrieleyson, Xristeleyson, Kyrieleyson, Christe audi nos.

Pater de celis Deus, miserere nobis, Fili redemptor mundi

Deus, Spiritus sancte benigne Deus, sancta Trinitas unus Deus,

5 S. Maria, s. Dei genitrix, s. Virgo virginum, ora pro nobis

Michael, Gabriel, Raphael, Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro nobis.

Johannes Baptista, Omnes sancti patriarche et prophete,

Petre, Paule, Andrea, Jacobe, Johannes, Thoma, Jacobe,

10 Philippe, Bartholomee, Mathee, Symon, Thadee, Mathia, Barnaba, Marce, Luca, Omnes sancti apostoli et evangeliste, Omnes sancti discipuli Domini, Omnes sancti Innocentes,

Stephane, Line, Clete, Clemens, Syxte, Corneli, Cypriane,

Laurenti, Grisogone, Johannes, Paule, Cosma, Damiane, Fa-

15 biane, Sebastiane, Vincenti, Gervasi, Prothasi, Georgi, Quintine, Thoma, Dyonisi cum sociis tuis, Maurici cum sociis tuis, Nichasi cum sociis tuis, Omnes sancti martyres,

Silvester, Leo, Gregori, Ambrosi, Augustine, Martine, Nicolae, Remigi, Hylari, Vedaste, Amande, Medarde, Germane,

20 Jheronime, Benedicte, Egidi, Eligi, Omnes sancti confessores,

1. Incipit litania] *RBV add. in conventu et sub titulo add. versum* Intret in conspectu tuo oratio mea. — *Inclina aurem tuam ad precem meam., versum quem leg. etiam RBV, sed om. RC.*

2. Xriste audi nos] *RC add. Christe exaudi nos.*

4. benigne Deus] *RC om. benigne.*

6-7. angeli et archangeli] *BD et RC add. Dei.*

8. Johannes Baptista] *duplicat RBV, BD et RC.*

11. Omnes sancti apostoli et evangeliste] *RC add. Dei.*

13-16. Stephane ... Thoma] *BD duplicat Laurenti et add. Christophore; RC leg. Stephane, Laurenti, Vincenti, Fabiane et Sebastiane, Joannes et Paule, Cosma et Damiane, Gervasi et Prothasi, et om. omnes caeteros.*

16-17. Dionysi cum sociis tuis ... Nicasi cum sociis tuis] *BD add. Sancti decem milia martyres; RC leg. Dionysi cum sociis tuis, Gereon cum sociis tuis, Quintine, Thoma et omnes caeteros.*

18-20. Silvester ... Omnes sancti confessores] *BD, post Eligi add. Ludovice, Anthoni, Bernarde, Francisce, Claudi; post Omnes sancti confessores add. Omnes sancti doctores. RC constituit duplicem seriem: Silvester, Gregori, Ambrosi, Pater*

Les cérémonies..., p. 202, et P. LEFÈVRE, *Encore un formulaire pour la profession des chanoines dans l'ordre de Prémontré au XII^e siècle*, in *Anal. Praem.*, 1961, t. XXXVII, p. 310. Textus ejus vide *ibidem*, p. 301.

- Felicitas, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnes, Cecilia, Anastasia, Genoveva, Margareta, Katharina, Ursula cum sociis tuis, Maria Magdalena, Omnes sancte virgines, vidue, et continentes.
- Omnes sancti,
- 25 Propitius esto, parce nobis Domine,
Ab insidias diaboli et omnium inimicorum nostrorum, libera nos Domine.
Ab omni immundicia mentis et corporis,
Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis,
- 30 Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A subitanea et improvisa morte,
A dampnatione perpetua,
Ab omni malo,
Per incarnationem et nativitatem tuam,
- 35 Per passionem et crucem tuam,
Per gloriosam resurrectionem et admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti paracliti,
In die iudicii,
- 40 Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut pacem et concordiam nobis dones,
Ut ecclesiam tuam exaltare et defendere digneris,
Ut domum apostolicum et cunctum ecclesiasticum ordinem in sancta religione conservare digneris,
- 45 Ut pontifices et abbates nostros, cum omnibus sibi commissis, misericordia et pietas tua custodiat,

Augustine (duplici vice), Hieronyme, Pater Norberte (duplici vice), Martine, Nicolae, Remigi, Omnes sancti pontifices et confessores, Omnes sancti doctores — Antoni, Benedicte, Bernarde, Dominice, Francisce, Ludovice, Gilberte, Omnes sancti sacerdotes et levitae, Omnes sancti monachi et eremitae, *et om. omnes alios.*

21-23. Felicitas ... Maria Magdalena] *BD leg.* Anna, Felicitas ... Katharina, Barbara, Apollonia, Martha, Clara, Ursula cum sociabus tuis, Maria Magdalena, Elizabeth. *RC leg.* Anna, Maria Magdalena, Agatha, Lucia, Agnes, Caecilia, Catharina, Barbara, Ursula cum sodalibus tuis, Anastasia, *et om. caeteras.*

23. Omnes sancte virgines, vidue et continentes] *RC om.* continentes.

24. Omnes sancti] *BD add.* Omnes sancti et sancte Dei. *RC om.* Omnes sancti *et leg.* Omnes sancti et sanctae Dei.

42. defendere digneris] *RC leg.* defensare digneris.

45. sibi commissis] *RC leg.* illis commissis.

Ut reges et principes nostros et cunctum populum xristianum, precioso sanguine tuo redemptum, conservare digneris,

Ut inimicos xristiani nominis dextera tue potentie compri-
50 mere digneris,

Ut loca nostra et omnia loca sanctorum in sancta religione conservare digneris,

Ut omnes familiaritate vel consanguinitate nobis junctos custodire digneris,

55 Ut errantes ad viam salutis reducas,

Ut infirmis sanitatem restituas,

Ut cunctis fidelibus defunctis requiem eternam dones,

Ut fructus terre nobis dare et conservare digneris,

Ut remissionem peccatorum nostrorum nobis dones,

60 Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris,

Ut ad vitam eternam nos perducere digneris,

Fili Dei, *ter*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

65 Agnus Dei, ... miserere nobis.

Agnus Dei, ... dona nobis pacem.

Xriste audi nos, Kyrieleyson, Xristeleyson, Kyrieleyson.

Pater noster..., Et ne nos. Dominus vobiscum, Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in bene-
70 placito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare.

De Omnibus Sanctis. Concede, quesumus, Omnipotens Deus, ut intercessio nos sancte Dei genitricis semperque virginis Marie, sanctarum omnium celestium virtutum, et beatorum
75 patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum, et omnium electorum tuorum ubique letificet, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

53-54. Ut omnes familiaritate vel consanguinitate nobis junctos custodire digneris] *BD add.* Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas *RC leg.* nobis conjunctos.

67. Xriste audi nos] *RC add.* Xriste exaudi nos.

69. Omnipotens sempiterne Deus, dirige] *BD praemittit rubricam Collecta et concludit* Qui tecum.

72. Concede quesumus] *BD add. rubricae verbum Collecta et concludit* Per *RC ad verba* intercessio nos om. nos et ponit hoc verbulum ante ubique letificet.

Ecclesie tue, Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, segura tibi serviat libertate.

80 *Pro prelatiis.* Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, pretende super famulos tuos et super cunctas congregationes illis commissas spiritum gratie salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tue benedictionis infunde.

85 *Alia pro peccatis.* Ineffabilem misericordiam tuam nobis, Domine, clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a penis quas pro his meremur eripias.

Pro fidelibus defunctis. Fidelium Deum omnium conditor et redemptor, animabus omnium fidelium defunctorum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam
90 semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Alia communis. Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris quos tuos tuos fide et opere futuros esse prenoscis, te suppliciter exoramus ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel
95 presens seculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, pietatis tue clemencia omnium delictorum suorum veniam, et gaudia consequi mereantur eterna. Per Dominum

100 Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.

78. Ecclesie tue] *BD et RC add. quesumus BD praemittit rubricam* In tribulatione ecclesiae et concludit Per Dominum *RC praemittit rubricam* Pro ecclesia.

80. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis] *BD praemittit rubricae* Collecta et concludit Per Dominum.

85. Ineffabilem misericordiam] *BD leg. pro rubrica* Collecta pro peccatis, que dicitur extra Quadragesimam, et concludit Per Dominum deinde, sub rubrica In Quadragesima collecta pro peccatis *add. novam orationem.* Exaudi, quesumus, Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem. Per. *RC leg.* In Quadragesima collecta pro peccatis Exaudi... *sine conclusione.*

88. Fidelium Deus] *BD leg. rubricam* Pro omnibus fidelibus defunctis et *add. conclusionem* Qui vivis et regnas.

89. omnium fidelium defunctorum] *RC leg.* famulorum famularumque tuarum.

92. Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum] *BD leg. rubricam* Pro vivis et mortuis et concludit Per Christum dominum nostrum. *RC leg. rubricam* Pro vivis et defunctis, et concludit Per dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit et regnat, etc.